



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna IX. Sensus Domini ex cæde Infantum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ubique crucifigat, ubiq; cor meum te laudet, adoret te anima mea desideret te spiritus meus, & amor meus te complectatur? Ah Domine, nescio loqui! Vive, Domine in me: peregrinare in me: veni semper mecum, ut sanctifices me totum, & ego amem te solum.

VIII. O Regina Angelorum sanctissima, cui nulla ærumna gravis, nulla peregrinatio laboriosa fuit, nulla regio extranea, in societate tui JESU: cum hoc thesauro omnis regio tibi patria fuit, omne servitium suave, omnis obedientia levis. Quid boni possum habere sine societate hujus Domini? Recordare Domina nostra, & Advocata peccatorum, fructum ipsius ac tuorum laborum esse, acquirere multos filios, trahere ad se errantes, & recuperare oves amissas. Adjuva, Domina, hanc ovem errantem, quam persequuntur inimici in hac lacrimarum valle: reduc me ad gregem suum, ut sequar & audiam semper vocem hujus divini pastoris.

O cives cælestes ferte opem huic exuli, constituto in tantis periculis, ut dimisso amore terrenorum, mereatur semper esse in vestra Societate. Amen.

ÆRUMNA IX.

Sensus Domini ex Cæde infantum.

I.

*Crudele
Tyanni
Consilium.*



Digerat Christus Dominus noster in Ægyptum, & jam duo anni erant elapsi à sua natiuitate, cum tyrannus Herodes non potuit pacare suspicionem haustam, de nato in suis terris rivali, & naturali successore sui regni: & uti statuerat mox Christum occidere, ubi esset sibi manifestatus à magis; ita certò sibi persuasit sua consilia prodita esse, cum videret illos non reverti, sicut convenerat: cumque se videret ab eis delusum, confirmatus est in sua suspitione ac timore; & dissimulatione versa in iram & indignationem, adinvenit crudelitatem terribilem, necandi omnes infantes; inter quos Christus non posset elabi. Neque fidebat Judæis, ut auderet indagare solum puerum JESUM, quem cupiebat sublatum, ne fortè alio substituto, ipse maneret superstes, si occidisset unicum tantum

tantum. Expeditis ergo negotiis, quæ executionem funestæ cogitationis impederant, cum jam sopitum putaret rumorem, quem Jerosolymæ concitârat adventus magorum, de jam nato Messia, & ne quis offenderetur sua crudelitate, computavit tempus, quo Magi viderant stellam, prout ex eis secretò cognoverat, & judicans, illud ferè excurrere ad biennium, pro majore securitate finis aliam causam, cur juberet in unum locum deportari omnes infantes, qui à duobus annis nati essent in Bethlechem, ac tota circum regione; quos ita collectos jussit omnes occidi ad unum per milites eo sine adductos, existimans fieri non posse, ut inter tot Redemptor mundi evaderet. Atque ita per hanc immanem ferociam tota illa regio repleta est sanguine pleraque domus lachrimis, & lamentis Matrum, quas impia crudelitas prole sua orbaverat: quam ætas cum innocentia, & ingenti numero, reddebat tanto diriorem acerbiorèmq.

II. Nihil mitigabat hîc, quòd aliàs solet, multitudo ejusdem cladis consortium, quò enim ille matres afflictiores erant, eò major etiam erat dolor, ac sensus, quem excitabant. Nec sine causa crudelitas hæc in ea regione creabat magnum terrorem; & quantò minùs poterant resistere barbaræ tyrannidi, tantò infelicior apparebat fors eorum, qui se videbant subditos jugo talis tyranni. Murmur, perturbatio, sensus, quem similes casus in populo movere solent, noscuntur experientiâ; & S. Jeremias prædixit, ploratum fore consolabilem. S. Augustinus & alii Doctores, hoc loco repræsentant lamentationes matrû, & valde exaggerant earum dolorem, & conatum servandi filiolos suos, & abscondendi, sed irritum, ut facilè cogitari potest. Neque sine ratione hoc dicitur, quia tot lactentes vix poterant in unum locum deferri sine matribus; atque ita in earum aspectu debuit peragi tanta crudelitas: quod qualia dicta, & actus miserandos eis expresserit, nullus sanè calamus assequi potest. De felicibus istis infantibus cogitant aliqui, eos tunc divinitus consolatione spiritali perfusos, cum viderent sua nece frangi furiam tyranni, & servari Salvatorem ab ulterioribus insidiis: unde quantum laboraverunt matres eos abscondere, tantò ipsi magis prodiderint se ipsos vagitu, ne tanta felicitate

Jerem. 31.
v. 5.

Infantes ul-
tro se pro-
diderunt de-
siderio mo-
riendi pro
IESU.

licitate exciderent, gloriosa morte defendendi vitam innocentis Agni, Domini sui.

IESVS semper plenus compassione.

III. Quod fiebat in Judæa non latebat æternam sapientiam divini Infantis in Ægypto: accidebant auribus divinis clamor & vox sanguinis, qui manabat ejus causa ex corpusculis Innocentium: & sua sacratissima Humanitas, quæ videbat omnia in DEO, sentiebat dolorem omnium parvulorum, qui occidebantur; & omnium matrum illorum. Erat enim Dominus naturâ suâ admodum tener, & valde compatiatur omnibus, quos noverat aliquid pati: quod in vita sua multis ostendit exemplis. Nam quando sequebatur eum turba in desertum, dixit; *Misereor super turbam; quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent.* Cùm occurreret ei prope civitatem Naim vidua, plorans filium suum defunctum: qui efferebatur, compassus est ei, & illum resuscitavit. Cùm videret Martham & Mariam plorantes pro fratre suo, compassione commotus, & ipse est lacrimatus. Cùm ingressus Jerosolymam esset magna cum solennitate, & exceptus cum ramis palmarum & olivarum, recordatione civitatis ejusdem funditus evertenda propter sua peccata, cœpit flere, & magno cum sensu dicere, quid esset eventurum. Plura exempla sunt, quæ ostendunt ejus compassionem in malis alienis: multò igitur magis compassus fuerit his Infantibus, quos sui causa sciebat occidi. Optabat ipse mori pro illis, & si conveniens fuisset, libenter fuisset occisus, toties reviviscens, quos occidit Herodes, ut moreretur pro singulis. Sed quia oportuit eum tunc vivere, & reservari in mortem magis atrocem, pro bono totius generis humani, & ut hac rabie restringeretur Herodis ira, quæ flagrabat in ipsum, patiebatur cor ejus ingentem dolorem, quòd sui unius perimendi causa paterentur tot Infantes & matres, cùm ipse servatus esset per fugam. Verum quidem est, quòd copiosè hanc eis mortem esset remuneraturus gloriosâ coronâ Martyrii, quam post aliquot annos erat promeriturus vicissim moriendo pro illis: hoc tamen, quod ut Redemptor & justus Remunerator erat facturum, non imminuit humanum sensum compassionis, quem à nativa teneritudine sua patiebatur,

IV. Et

IV. Et extendendo amplius hanc compassionem Domini, *IESVS com-*
 habeo pro certo, quod unum è magnis tormentis, quæ sustinuit in *patitur mi-*
 sua peregrinatione Filius Dei, fuerit sensus malorum, quæ filii Adæ *serius homi-*
 proscripti à cælo, meritò quidem patiebantur, & passuri erant; *sum,*
 quæ omnia sigillatim erant ei præsentia. Poterit hoc meliùs in-
 telligi, considerando intentionem, quâ Deus initio creavit natu-
 ram humanam adeò perfectam: ea certè non fuit, ut esset creatura
 subjecta miseris; sed ut immunis esset ab iis etiam eo tempore, quo
 nondum admittebatur in cælum. Omnem aliam creaturam ter- *quia eos ad*
 renam fecit morti vel corruptioni obnoxiam; solam humanam, *felicem vi-*
 quæ quoad corpus naturaliter erat iisdem obnoxia, præservavit *tam crea-*
 in loco voluptatis, & in Paradiso terrestri ab omni dolore, fame, *serat.*
 frigore, æstu, labore, morte, & quidquid poterat illi esse molestum.
 Voluerat enim, ut inter naturam spiritualem & incorruptibilem,
 interque corpoream & corruptibilem, esset media, partim angeli-
 ca, partim terrena, quæ & immunis esset à malis corporeis, & par-
 ticeps bonorum spiritualium, capax gloriæ cælestis: in qua crea-
 tura velut in compendio, & summa mundi cælestis ac terreni,
 Deus ederet actiones supernas, extenderet suas perfectiones divi-
 nas, & haberet spiritualem suum paradisum voluptatis. Sed amis-
 so per peccatum hoc statu felice, Deus necessariò mutavit inten-
 tionem, ut, ne perderet hanc creaturam, quam fecerat ad suam de-
 lectationem, ei mederetur per miseras, quam viderat inter delicias
 non potuisse seruari.

V. Hoc impedimentum, quod peccatum opposuit inten-
 tionì divinæ suam in homine oblectationem quærenti, meritò gra-
 vem Deo dolorem attulisset, si natura divina esset capax doloris.
 Uti, cum vellet mundum punire diluvio, dicit Scriptura, tactum
 esse dolore cordis intrinsecus, non utique, quod dolorem sense-
 rit, aut pœnitentiã ejus, quod ab æterno decreverat; sed quod
 iusta fuerit causa dolendi, cum cogereretur tanto malo afficere crea-
 turam, quam in tantam felicitatem produxerat, nunc autem vide-
 bat, suã ipsam culpã promeritam, ut diutius toleranda non esset. *DEVS non*
 Quod autem natura divina in se cum dolore sentire non potuit, *libenter nos*
 hoc ei multum doluit in humana, quam Personæ Filii sui univit; *punit.*
 nam in ea sic sensit nostra mala, quasi fuissent sua propria. Ita

Christus

*IESVS ver-
tit nostra
mala in bo-
num.*

Christus erga homines perfectissimè explevit utrumque officium: ut Deus, ordinavit miseras nostras ad suum honorem & gloriam, fructumque nostrum spiritualem, quem æterno consilio suo decreverat: ut Homo, socius & amicus fidelissimus, graviter sensit eadem: ac tantò graviùs, quantò libentiùs eas non inflixisset, nisi cogeretur à iustitia & gubernatione universali. Quia verò tantopere sentiebat nostras calamitates, ita ordinavit res nostras, ut plus nobis possint prodesse, quàm profuissent deliciae Paradisi, quæ culpâ primi nostri parentis amissimus: ac propterea magnam earum partem suscepit in se, ut sanctificatæ ab ipso, forent nobis semen gloriæ; quâ ratione restaurabat primam suam intentionem, quæ erat, ut in perpetuum bene esset nobis cum ipso, ac ceteris Electis ejus, sine ulla ulteriore molestia.

*Ecclesia
semper se
lavit san-
guine Do-
mini.*

VI. Duæ sunt considerationes præcipuæ ad solatium ærumnarum hujus vitæ, quas, si fideles amici, ac servi Dei sumus; deberemus habere semper in animo. Prima est S. Augustini, quod Ecclesia, ex quo cœpit in Adamo & filiis eius, laverit se semper in sanguine divini sui Sponsi. Primus Abel iustus, cadens manu invidi sui fratris Cain lotus est suo sanguine innocente. In adventu Christi electi innocentes rigarunt sanguine suo civitatem & viciniam Bethlehem. Ipsemet Christus consecravit Ecclesiam sanguine proprio, moriendo in Cruce. Innumeri Martyres fuderunt vitam suam pro ipso, & qui sine sanguine obierunt, non fuerunt sine ærumnis & crucibus: quia sub vexillo Crucifixi militare, & in regno ejus honorati esse non possunt, qui passi non sunt, quo bene perpenso apparet, duo quædam habere hominem, quæ indigna sunt alii impendi, quàm Deo, Amorem & Sanguinem sive Passionem, Amare & Pati. Quia Passioni Christus Dominus noster contulit tantum valorem sanguine suo, & Electorum suorum, ut omni alteri rei, etiam bonæ ac dono cælesti longè præponderet: male ergo impenditur in res illas, quibus perit pretium ejus, & anima trahitur ad interitum. Cùm David desiderio teneretur aquæ ex cisterna Bethlehem, quam circumcederant hostes, ac tres viri fortissimi per medios hostes attulissent ei cum periculo vitæ, ut gratiam sui Regis inirent; ipse rem altiùs perpendens, judicavit esse aquam

*Amore &
sanguine
nostro di-
gnus est
solus Deus.*

aquam adeò pretiosam, ut non nisi Deo digna esset; idèoque non bibit eam, sed Deo libavit, cui soli omnis labor, cura, & periculum nostrum debetur. Quod si facerent homines, longè faciliùs exhaurirent omnes labores, neque adeò magnam partem vitæ suæ amitterent. Sed causa hujus jacturæ est, quòd amorem suum impendant rebus, quæ illum non merentur, cum soli Deo debeatur, qui ejus adeò est appetens, ut ferre non possit, si alius eum delibet. Quia amor post se trahit omnia, delectationem, cogitationem, occupationem, laborem omnem, qui destinet hominem intus & foris. Unde, si amor & passio nostra impendiretur ei, cui debetur, qui solus est Deus, rem faceremus ei gratissimam, & probaremus nos esse de numero fidelium membrorum Ecclesiæ, & Electorum, qui sunt illi magis accepti, & honorati in regno ipsius.

VII. Altera consideratio est, quòd, cum Deo sic displiceat intentionem suam impeditam, quã volèbat oblectari nobiscum, non contentus id assequi demum in gloria, in venerit modum, quo id obtineat, etiam in hoc exilio nostro inter miseras. Ideo pro deliciis paradisi terrestri, confert filiis Adæ plus gratiæ inter suas miseras, quàm habuissent in illis deliciis, & vi operum æterni sui amoris, ita eos accendit, & inflammat desiderio ipsi satisfaciendi, serviendi, & ipsum solum amandi, ut velut ebriis appareat eis jucunda omnis miseria vitæ hujus, & amara omnis voluptas; nec minùs contenti sint in mediis ærumnis, quàm si forent meræ delicia. Justinus Martyr in oratione ad Romanos de fide Martyrum, inter alias causas, cur à vita philosophica & gentilismo se ad Christianos contulerit, refert hanc fuisse præcipuam, quòd viderit alacritatem, quã Martyres patiebantur tam dira tormenta; quia non poterat sibi persuadere, quòd ea, à quibus humanum corpus tantopere abhorret, tolerari possent, cum tantò gustu, nisi alia secreta & interna delectatione acerbitas tormentorum verteretur eis in delicias: Posteaquam autem factus est Christianus, ipsamet experientia se clarè cognovisse, quòd nulla pœna corporis tam potens sit, ut possit interiorem delectationem corrumpere, quam Deus largitur patientibus pro Christo, & cum Christo. Sanè S. Paulus recenset suos conflictus & ærumnas, quas pertulit, quasi

*Paradisus
crucis Deo
gloriosior
paradiso
voluptatis.*

toridem glorias. Hinc illa Davidis admiratio; *Quam magna multitudo dulcedinis tue, Domine, quam abscondisti timentibus te! Abscondes eos in abscondito faciei tue à conturbatione hominum*; hoc est, in cognitione tua, & in abundantia bonorum tuorum eos abscondes, non ut eos dura non tangant, sed ut eorum acerbitas diluatur in suavitate ac pelago dulcedinis, quæ est in amore, conversatione & communicatione cum Deo, ferè, ut sal in cibo suavi, cujus acrimonia non sentitur, sed cibus facit sapidiorem. Ex quo Deo longè major oboritur gloria, cum suos videt ita jucundos in adversis, quàm si fuissent in paradiso voluptatis? quandoquidem ipsas miseras reputant pro paradiso: quod quidem purus amor in eis efficit. Quamvis autem non omnes eò perveniant; omnibus tamen afflictis hoc datur solatii; quòd, quidquid pariantur pro Deo, cedat in ipsorum bonum, sique cum patientia tolerant, magni sit meriti; & si non in delectationem spiritualem vertatur, saltem cedat in coronam & gloriam sempiternam.

EXERCITIUM

De Sensu Domini ex Cæde Innocentum.

I.

*Gratiarum
actio.*

Offero tibi, Domine JESU CHRISTE, Salvator ac redemptor meus, gratias, quas debeo tibi pro gratis mihi factis, non quantas mereris, sed quantas potest mea tepiditas: tu spes mea, per tuam clementiam supple, quod deest meæ infirmitati: Tu es mea beatitudo, & finis intentionis, omnisq; desiderii mei; & quamvis non sim dignus te amare, quantum mereris, amo te tamen, quantum debeo. O Lux mea, tu vides meam conscientiam, & coram divina majestate tua adstat desiderium cordis mei, quod mihi largiris; & inspiras mihi, ut amem te; hoc est, quod convenit mihi; da mihi at amem te, quantam à me vis amari. Doce me extollere gratias, quas impertis mihi, tantum quia amas, ut in me sine fructu non sint. Tua me Bonitas creavit è nihilo: tua gratia me sanctificavit in Baptismo: tua misericordia me sustinet, expectat, recipit, & mihi ignoscit: tuus amor te traxit è cælo in terram, ac fecit participem miseriarum, quas ego jure perpetior. Quid ha-
beo,

beo, Domine, vel quid spero, quòd non debeam tuo amori & gratiæ? quid sine illa possum habere? In te dilator, in me ipso deficio: in te sum alius quispiam à me ipso, & mergor in abyfso magnitudinis bonorum tuorum; in me ipso sum semper nihil & miserabilis. Laboro & fatigor, feror antrorsum & retrorsum, occupor & inquietor in rebus, & pro rebus, quæ sunt extra te, ac semper minor, ac vilior fio, & excido à tua suavitate, ac bonis tuis. Quando, ô Salus mea, huic pauperi creaturæ porriges opem? sine te, quid quid est in me, pura miseria est. Regnant supra me tenebræ, quæ tegunt & eripiunt mihi visum cælestium, infra me est duritia terrenorum, circa me perturbationes affectuum, ante me fames vanitatis, retro oblivio bonorum tuorum, intra me inopia tuæ cognitionis & amoris; & inter hæc omnia tam sum insensatus, ut cogitem vivere sine te, ac bonis tuis. O bonum meum, sine quo dego in omnibus malis: ô Vita animæ meæ, sine qua vivo in continua morte: ô Lux mea, sine qua in his miserijs meis falsò beatum me duco; adjuva me, succurre, curam mei habe, & illumina me!

II. Tu scis me sine te nihil posse, & propterea venisti de cælo me quærere, ut habeam te mecum, sine quo pereò. Recepisti in te miseras meas, ut habeam te socium: passus es dolores, quos ego merebar, ut meos sentiam minùs, & ut aperiã oculos, ac videam in te, quantò majores pœnas meruerim, & quantum amare te debeam. Adoro te, mi Consolator: & quid ego tibi prosum, aut consolatio mea? num fortè non ex merito agitur mecum, quando circumstant me undique infirmitas, desolatio, mœror, fastidia, tribulatio, inquietudo, & fatigatio vitæ? sentiam ergo pœnam, qui admisi culpam; & quia justè me castigas, cùm affligis, par est, ut patiar solus. Et tu, bone JESU, quid habes causæ, ut venias in societatem mearum pœnarum? ô dulces & vere Amator hujus miseræ creaturæ! Quomodo verum est te non delectari pœnis, & infortunio creaturarum tuarum? quomodo verum est, te illas creasse ad felicitatem, & non ad supplicia? quomodo verum est, te illas affligere pro necessaria cura malorum nostrorum, & vicissim consolari, atque exhilarare easdem, quandoquidem ad gaudia eas creasti?

fti? Ideo venisti in mundum, ut fleres, fatigareris, sudares, tentareris, sustineres persecutiones & injurias, malè accipereris, haberes falsos amicos, patereris inopiam, exulareris, torquereris, morereris, ac tolerares omnia, quæ patiar ego, iisque majora, non tantum ut adjutor meus in sufferendis, sed etiam socius esses. O quam verè dixit Apostolus, me habere pastorem, de quo non possum cogitare, quod non compatiatur mihi, cum tribulationes immittit; quia fuisti tentatus ac probatus per omne genus miseriæ, ut credam te omnes meas sentire, & compati, ut qui per experientiam noveris, quàm acerbæ gravesque sint. O mi bone Jesu, quando peregrinabar in mundo; semper habeas ob oculos omnia, quæ permissurus eras totà vitâ meâ me pati. Jam tum dolebas de illis, ac veluti bonus Pater ac Pastor, sentiebas omnes ictus, quos inflicturus eras mihi, & gratiam impetrabas eos ferendi cum fructu. Quomodo ergo, mi bone Pastor, ego lamentor, cum videam dolorem, quem sentis ex ictibus meis? quomodo non agnosco, quantum profuit mihi, quando quidem cum tanto sensu illos infligis?

*Aster pu-
nit mun-
dum, quàm
DEVS.*

III. O mi Domine, in me sunt omnia extra viam. Monstras mihi, ô pulchritudo cœli, teneritudinem cordis tui, & sapientiam providentiæ, qua me gubernas, viscera paterna, quibus me amas, quando castigas; & divitias liberalitatis tuæ, qua quidquid justè patior, mihi convertis in tanta bona & gloriam. Quis est, sicut tu, mi amantissime Pater? plectit mundus latronem, & eo mortuo nihil amplius facit: tu verò crucifigis malefactorem, & sic sentis ejus dolorem, ut & gratiam des ei patiendi, & pro patientia vitam æternam. Cedit mundus reum, & miser habet infamiam: tu verò flagellas nostra delicta rebus adversis, & cum pœnitentiâ, quam ipsi largiris, das suavissimas & intimas consolationes. Dejicit mundus, ut evertat: tu verò deijcis, ut erigas; onerat mundus, ut fatiget: tu oneras, ut subleves. O sublevatio mea, ô dulcis confortatio! quare non ardent viscera mea vivis & efficacibus desiderijs tibi serviendi, & satisfaciendi? Non es contentus juvare me, ut ex meis pœnis acquiram gloriam, sed ut appareat, quàm sis liberalis erga animas, quas affligis, illas eò usque perducis, ut non sint contentæ, quando sunt sine afflictionibus. Aperi mihi
Domine

Domine, hæc tua secreta : doce me gloriari in tribulationibus , & Dul. u. pati pro Christo.
invenire ac degustare, quod his abscondisti in eis, qui in ipsis glo-
riantur. O mi amor, quare patior ego, nisi propter te, ac per te?
Cum attrahis animam ad te, cum hæreo in tuis amplexibus, cum
in amore tui ebullio non sentio injuriam, non disgratiam, non
paupertatem, non defectum, non contemptum, non falsos ami-
cos, non ullam ærumnam. Omnia suffocantur in te. & tuâ præ-
sentiâ mutas omnia in dulces & lapidos cibos. Quid hoc est rei,
Deus meus? vis ut omnia sint paradifus? Aperi, Domine, cor hoc,
& intra in illud; vel aperi mihi tuum, & ingrediar in hanc pacem,
in amorem tuum, in dulcem cognitionem tuam. Tam cupidus
es, Deus meus, largiendi mihi gloriam tuam, ut non possit ex-
spectare amor tuus, donec eam in domo tua mihi conferas, ubi
me exspectas; sed hîc jam das pignus illius, & primitias, quando
exhibes mihi tuam divinam præsentiam. O divine amor, ô fidelis
amice, audi cor meum, quod jam obliviscitur sui exilii, & tibi
suaviter cantat. Audi, quod loquitur cum solo te, hoc dicit tibi soli:

O quàm suavis est amor meus, quàm pulcher est Amicus
meus, quàm dulcis est Pastor meus! Colliquefcit tota in te, Deus
meus; te solum desiderat anima mea, Thesaurus meus, dulcedo
mea, spes mea, gloria mea. Ah Deus meus, ah Deus meus, ah dul-
cis amicus meus! ô si hic desinat in te, quidquid non es tu. Vivat
amor, vivat in me, & ego solus vivam in te, ô Deus meus, ô amor
meus; ô Jesu rape cor meum!

IV. O bene Jesu, doce me excessus tui amoris, & angustias,
quas facis in hoc dolci corde. Quid est, mi Domine, quòd in mor- IESVS plus-
doluit ex-
cade infan-
tum, quàm
ipfi.
te horum Innocentum sentias majorem dolorem, quàm ipsæ ma-
tres, quæ tam crudeliter amittunt filios; & quàm ipsimet parvuli,
qui immaniter deturbantur è vita, ut tuam vitam eorum morte
conferves? Dolor matrum non excedit fines amoris naturalis, pue-
rorum autem est adhuc sine usu rationis; sed tuus, ô amantissime
Jesu, est ab amore divino, infinito, sapientissimo, flagrantissimo,
cum desiderio moriendi pro singulis. Quomodo pateris, clemen-
tissime Domine, ut hi moriantur tuæ vitæ servandæ causâ, cum tuum
proprium officium sit vitam omnibus dare tua morte? Ah Domi-
ne, amor tuus invidet passionem parvulis, & omnes istæ sunt in-
ventiones,

ventiones, ut tu plus pati possis, quàm ipsi infantes. Omne vulnus, quod eis infertur, transfigit cor tuum, quasi tibi esset inflatum omnis mors eorum est mors tua, quòd non moriaris pro quolibet eorum. Sic amor satiabatur, quo invidebas quodammodo passionem istis infantibus, sententiam ferendo contra carnem tuam, ut pro illis tota convulneretur & crucietur: sic vitam eorum compensabas, qui morte sua tuam servarunt, dando eis vitam æternam, ac proponendo mori suo tempore pro illis. Moriebaris in quolibet eorum, patièdo tunc in ipsis, ut postea pati posses pro ipsis. Ita, Domine; noluisti, ut ullus Martyr patièdo te vince-

IESVS & nullo Martyre vincitur patièdo.

Fugimus pati.

ret. Ita etiam ordinasti, ut in se vivendo moriatur, quisquis cogitat mori pro te: ac fecisti, ut quod patimur aut pati cupimus pro te, redundet in bonum nostrum æternum. Benedictus sit hic thesaurus tuæ liberalitatis. Quis potest tecum esse pauper, cum detur thesauris hujus tui infiniti amoris.

V. O me miserum, in quanta damna incido, dum ut pacem, aut blandiar corpori, fugio molestias! me contristat jejunium, cruciat oratio, gravat solitudo, affligit silentium, doleo in tribulatione, non possum ferre tentationes, timeo dimittere pro te grata corpori, puto mihi deperdi, quidquid impendo tuo amoris. Non audeo resistere meis cupiditatibus, reformido quidquid me potest restringere, quidquid coërcere meam libertatem, id me dejicit. O gelu cordis istius infelicis! quàm longè absunt hæc à desiderio moriendi pro te? quàm procul ab invidia pro te exponendum vitam? quomodo respondeo fidelitati & amoris, quem erga me geris? antequam videam strictum supra me gladium, ac Martyrium, fugio molestias hujus inimici mei, corporis: quomodo ergo pro te dabo corpus ac vitam? Hoc est, Deus meus, quod amas, pro hoc tu cruciaris, pro hoc interficeris, pro hoc desideras vitam impendere. Miserere mei, Domine: conforta meam ignaviam, corrobora pusillanimitatem; erige, Domine, hanc dejectionem: da mihi spiritum, ut supponam humeros cuicumque labori, cuicumque bono exercitio, cuicumque mortificationi corporis, & magnitudini amoris, quem erga me habes. Recordare, Domine, quòd dixeris, *Sine me nihil potestis facere.* Tu, Domine, vides interiora mea;

Joan. 22. v. 6.

mea; quoties mihi ostendis pericula, in quibus versor, & inspiras, ut vigilem & fugiam à me ipso, & recedam ab oblectationibus, quæ me separant à te; ego me reperio sic addictum passionibus meis, sic obstrictum appetitibus, ut timeam ab eis recedere: & quamvis videar eos velle relinquere, vellem tamen id fieri non tam citò; & cum omnino decrevi id facere, majore metu corripior dolorum, quos imaginor mihi ex ea derelictione secuturos, quàm damnorum & malorum, quibus me sibi adhærentem afficiunt. O miseranda deceptio, ô magna cæcitas mea! quis unquam timuit salutem? O fortitudo mea, da mihi vires: frange modò hæc vincula: arma me tua luce, & tuo amore: noli tardare, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum. Qui majores me vires habet, prævalet mihi. Tu, Domine, qui aperis manum tuam, & imples omnia benedictione, emittis virtutem tuam, & facis ex debilibus fortes, ex victis victores; recordare, quòd ego tam debilis & miserabilis, æquè sim tuus, atque omnes aliæ creaturæ: recordare, quòd veniens ad quærendam perditam ovem, non jusseris eam redire ad ovile, sed acceperis eam in humeros, & reportaveris, quia sic aberrans ægrè poterat redire. Talis ovicula sum ego: quære me, divine Pastor; quia erravi: recollige me, quia perii: porta me, quia sum debilis: reduc me ad suavem amorem, ac dulcem societatem chararum ovium tuarum.

VI. Sed quid est, Domine, quòd Herodes cogitat regnum servare, te perempto, vultque tollere tot infantes, inter quos non possis non esse? Nec vitæ, nec regni socium te vult, qui es omnipotens, ac potes dare vitam & regnum. Domine, quò magis admiror Herodem, & ejus tyrannidem, eò magis cogor damnare me ipsum: an ego sim ei similis, tu scis. An tu fortè in me non agnosces eandem qualitatem, & easdem circumstantias culpæ, licet ego non occiderim pueros? Quoties, Domine, cogitavi servare meam existimationem, perimendo honorem proximi mei, quem jusseras à me servari illæsum? Quoties contra tuam legem ac doctrinam, studeo servare amicum, adulando ei, ut per mendacium satisfaciâ desiderio meo, & opinioni meæ, persequendo virtutem? quot virtutes ac vera bona perimo in anima mea, ô Bonitas infinita!

P

quot

*Pecator
Herodi si-
milis.*

quot ejusmodi res vides in mundo, ac toleras! & cum hoc sit totum negotium mundi, ut cum tua tuæque Legis injuria perdat animas, in eoque sita sit tota ejus sapientia, gubernatio, & occupatio, ego proximè sector ipsum, tui oblitus, & major homicida fui, quàm ipse Herodes: nec doleo, quòd, cum hæc ago, tu à me fugias. Cogito me vivere, esse, sapere, agere, florere, & hoc totum sine te, qui es vita, potentia, & vera substantia animæ meæ. Tu cum paupertate spiritus vis me regem facere, ac ditare; & ego illam, ut dicer, interimo: tu vis me facere magnum per humilitatem; & ego, ut magnus fiam, illam repudio: vis me honoratum facere per adversa; & ego patientiam servandi honoris causâ refugio: in omnibus facio tibi contraria, ac tuam societatem formido. Et, ô Domine, sine te qualis remaneo? quàm pauper, miser, abjectus, infamis, & remotus à vita æterna, & veris bonis? Misericordia, Domine! per hanc te rogo, ut potiùs des mihi mortem Innocentium, quàm vitam Herodis. Sit hodie finis infelicis mortis meæ, ac principium vitæ in te. Da mihi amorem tuæ legis, & obedientiam tuæ sanctæ doctrinæ & voluntatis. Mea prudentia & sensus esto, vivere semper eo, quod me doces, & cum gaudio impendere vitam ei, quod jubes. Terminentur, Domine, mala mea, quia solùm in te ac tua virtute possunt finiri. Da mihi, ut posthac non velim habere nec membrum, nec sensum, nec vires, nec vitam, nisi ad serviendum tibi, te amandum. Non minor est gloria tua, DEUS animæ meæ, implere domum tuam peccatoribus conversis, quàm SS. Martyribus & Innocentibus. Age, glorificare in me, Domine, trahendo me in odorem unguentorum tuorum, virtutum tuarum. Ille penetret interiora mea, incendat animam hanc amore, & faciat odisse amorem mundi, detque vivum ac perpetuum desiderium te possidendi.

DEO gloriosum est, replere caelum paenitentibus.

O Mater DEI, Domina mea, quæ per hunc Dominum semper vixisti, & per quam nos mortui possumus impetrare vitam; resuscita per tuam intercessionem spiritum meum in amorem purum & inseparabilem. O Curia cælestis, quæ per vitam, potentiam & magnitudinem hujus Domini regnas cum illo, impetra mihi, ut ejus sanctus amor regnet in me, & ego tandem veniam ad societatem regni vestri. Amen.

ÆRUMNA